

picio potius repellenda est, quam approbanda vel recipienda.» Ratio patet, quia, cum conjux, de quo est suspicio, sit in possessione juris matrimonialis, non potest illo privari ob dubium, aut suspicionem; nam « in dubio melior est conditio possidentis, » arg. c. *In pari. de Reg. jur.*, in 6.

95. *Solvitur instantia.* — Nec obstat can. *Dixit Dominus* 2, cau. 32, q. 1, ubi absolute dicitur, « ob suspicionem fornicationis libere posse dimitti uxorem. » Resp. enim cum Glossa ibid. *ŷ. Suspicio*, et communi interpretum, ibi per suspicionem intelligi violentam, quæ in foro externo sufficeret ad condemnandum, arg. c. *Litteris*. 12. de *Præsumpt.*

Datur enim duplex suspicio seu præsumptio, temeraria nempe, probabilis, et violenta, juxta dicta lib. XI, tit. XXIII, de *Præsumpt.* n. 28. ex quibus cum una sola violenta sufficiat ad condemnandum in foro externo, arg. cit. c. XII, de *Præsumpt.* sola quo sufficit in foro conscientie ad discedendum propria auctoritate.

Ex quibus autem desumatur suspicio, vel præsumptio violenta de adulterio conjugis, late, et practice tradit Sanchez, lib. X, disp. 12, a. n. 41, et doctores communiter in c. XII, de *Præsumptionib.*

96. *Innocens potest conjugem adulterum semper iterum recipere.* — Quæritur III. An? et quando innocens possit, vel teneatur iterum recipere conjugem ob adulterium dimissum? Item, an iterum? et quando possit revocare nocentem? Resp. I. Innocenti semper licet iterum recipere conjugem adulterii causa dimissum. Omnes, textu claro can. *Quod autem*. 7. cau. 32. q. 1. cum concordant.

97. *Non tamen tenetur, etsi multis annis peniteat.* — Resp. II. Divortium matrimonii ex causa adulterii factum pro favore innocentis est perpetuum, ita, ut per se loquendo etiam penitentem ac resipiscentem adulterum non amplius teneatur recipere. S. Bonaventura, in 4, dist. 33, a. 1, q. 5, et ibi D. Thomas, q. un., a. 6, ad. 2; Pontius, lib. IX, cap. XXI, n. 6. dicens, esse uno sensu receptam sententiam, Bosco, disp. 12, sect. 16, conclus. 7, dicens, conclusionem esse certam, cum communissima aliorum, arg. c. *Dixit Dominus*. 2. cau. 32. q. 1, et can. *Admonere*. 8. cau. 33. q. 2. ibi: « Nam si verum (quod absit) fuisset sicut ille adulter mentitus est, post septem annos pœni-

tentia peracta, dimittere eam per approbatam causam potuisset, si voluisset, cum concordat. Ratio est; quia etsi per pœnitentiam tollatur culpa apud Deum, non tamen tollitur injuria facta homini, nec realus pœnæ. Nam per pœnitentiam non desinit quis esse nocens ut bene advertit Glossa, in cit. can. *Admonere*. *ŷ. Pœnitentia*. arg. l. *Quis sit fugitivus*. ff. de *Ædili. edict.*

98. Confirmatur. Potest innocens conjugem adulterum accusare in ordine ad divortium, postquam multis jam annis egit pœnitentiam de commisso crimine, textu claro cit. can. *Admonere*; ergo multo magis potest ipsum etiam pœnitentem non recipere, nam turpius ejicitur, quam non admittitur hospes.

99. *Limitatur hoc in aliquibus casibus, ita ut innocens teneatur denuo recipere nocentem.* — Resp. III. Quamvis per se loquendo, matrimonii divortium ex causa adulterii sit perpetuum, juxta dicta n. 97. dantur nihilominus casus, in quibus innocens nocentem ex adulterio rejectum iterum recipere tenetur.

Patet inductione. Sic enim I. tenetur, quando ipsemet post factum divortium committit adulterium etiam occultum, juxta dicta n. 86. II. Si factio divortio injuriam expresse, vel tacite condonavit, juxta dicta a. n. 71. III. Si factio divortio cognoscit ex falsa præsumptione latam esse sententiam, et injuriam factam parti dimissæ, Pontius, lib. IX, cap. xx, n. 2. IV. Si patitur periculum incontinentiæ, Pontius, loc. cit., n. 1, cum communi et certa. Ratio patet; quia, cum vinculum matrimonii non solvatur, consequenter innocens pro remedio incontinentiæ alium conjugem vivente dimisso accipere nequeat, hunc recipere iterum tenetur, si aliter incontinentiæ periculum vitare nequit.

100. *Innocens pro libitu revocare potest nocentem etiam post sententiam divortii, teneturque nocens redire.* — Resp. IV. Innocens factio etiam ob adulterium per sententiam divortii, semper et pro libitu potest iterum revocare conjugem dimissum, teneturque hic eidem parere, ac redire, si status utriusque adhuc est integer, et nullus eorum religionem intravit, Sanchez, lib. X, disp. 10, n. 3; Bosco, disp. 10, sect. 16, concl. 10; Pontius, lib. IX, cap. XIX, n. 1; Abbas, in c. *Ex litteris*, 4, h. t., in fine, et ibi Joan. Andreas, n. 10; Ancharanus, n. 10; D. Bonaventura in 4, dist. 33, a. un. q. 5, et ibi D. Thomas, q. un. a. 3, ad 6. Sylvester *ŷ. Con-*

sortium. q. 10, cum Glossa communiter recepta in cit. c. *Ex litteris*, h. t. *ŷ. Redire*, contra Navarrum, h. t., Consil. 4. n. 1. Ratio est: Tum quia ut bene observat Abbas, loc. cit. Divortium in favorem innocentis institutum est, consequenter non debet in ejus odium, aut præjudicium retorqueri, arg. c. *Quod ob gratiam. De Reg. Jur.*, in 6. ibi: « Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. » Retorqueretur autem, si etiam innocens privaretur jure in corpus nocentis. Tum quia nemo debet ex suo delicto commodum reportare, c. *Itaque ff. de Furtis*. Nec debet pœna, qualis est divortium, immunitatem præstare delinquenti, l. *Relegatorum*. 7. § fin. ff. de *Interdict. et Releg.* ibi: « Neque enim immunitatem pœnam tribuere debet. » Accedit, quod alias præberetur conjugibus ansa delinquendi, ut separentur, prout bene advertit Glossa, cit. arg. c. *Ex parte. de Consuetud.*

101. *Solvitur instantia.* — Dicens, sententiæ semel latæ standum est, donec a superiore retractetur, arg. can. *Quod bene*. cau. 6. q. 4, ergo. Confirmatur, innocens acquiescens sententiæ videtur cedere juri suo; ergo, Resp. ad primum anteced. non violari sententiam ex hoc, quod innocens revocet nocentem; quia per sententiam tantum nocens privatus est jure matrimoniali in innocentem, non autem innocens jure suo in nocentem. Ad secundum. Resp. negando Anteced. quod innocens cesserit juri suo, cum acquiescat sententiæ tantum in sui favorem.

102. *Facto divortio an possint conjuges religionem intrare. Remissive.* — Quæritur IV. An factio ex causa adulterii divortio, conjuges possint intrare religionem? Resp. Ad hoc quæsitum patere ex dictis lib. III. tit. XXXII. *æ Convers. Conjugat.*

103. *Facto ex culpa unius divortio liberi educantur apud innocentem.* — Quæritur V. Apud quem conjugum, et cujus expensis factio divortio educari debeant liberi? Resp. Factio divortio ex quacunque culpa, sive adulterii, sive sævitie, etc. proles tam masculæ quam femellæ educandæ sunt apud conjugem innocentem, et quidem expensis patris, si causam divortii dedit: si vero mater causam divortio dedit, et locuples sit, ejusdem expensis apud patrem: nisi forsitan hic ad educandum minus idoneus sit, Sanchez, lib. X, disp. 20, n. 2; Gutierrez, can. quæst. lib. I, cap. XXIV, n. 19; Sylvester, *ŷ.*

Filii, n. 24; Pirhing, h. t., n. 93; Layman, lib. V, tract. X, p. 3, cap. VII, n. 19; Castro Palao, de *Sponsal.* disp. 3, punc. 6, § 10, n. 4, et alii apud Sanchez, textu expresso Auth. *Si pater. c. Divortio facto*, ibi: « Si pater causam Divortii præstiterit, apud matrem ad secundas nuptias non venientem liberi nutriantur patris expensis; nisi pater minus idoneus sit: tunc enim apud matrem locupletem nutriantur. » Concordat Novella 117. cap. VII, ex qua præfata authentica, *Si pater*, desumpta est.

104. Non desunt, qui in citata authentica, *Si pater*, impugnant verba matris locupletis expensis, eo quod hæc verba non reperiantur in citata Novella 117. cap. VII, (ex qua desumpta est) sed tantum per Irnerium doctorem privatum addita sit; adeoque volunt, controversum adhuc esse, an matris locupletis expensis educari debeant proles, si illa causam divortii dedit. Verum hanc impugnationem non attendunt doctores num. præced. citati, eo quod, etsi Irnerius illa verba addiderit, merito, et juri conformiter id fecerit; cum vir et uxor, pater et mater sint correlativa, consequenter, quia in Novell. 117, cap. VII. constitutum est, ut patre dante causam divortii, proles educentur expensis ejusdem; correlatio requirit, ut causam divortii, dante matre, hujus saltem locupletis expensis educentur.

105. *Limitatur in aliquibus casibus.* — Limitatur tamen per doctores n. 103 citatos Conclusio I. Si innocens sit infidelis; tunc enim apud matrem dantem divortii causam educandæ erunt proles, c. fin. de *Convers. Infidel.* II. Si patre dante causam divortii mater postea transit ad secundas nuptias, proles educandæ eidem non relinquuntur cit. Auth. *Si pater. c. Divortio facto.* et Novell. 117, cap. VII, ibi: « Apud matrem ad secundas nuptias non venientem. » III. Si nocente existente matre, pater ad educandum minus idoneus sit, textu claro in cit. *Authent. et Novel.*

106. *De amissione dotis. Remissive.* — De amissione dotis, et aliorum tanquam effectu divortii, dicetur tit. seq.

TITULUS XX.

De donationibus inter virum, et uxorem: et de dote post divortium restituenda.

1. *Ratio continuationis: iudex ecclesiasticus*

incidenter cognoscit de causa dotis. — Causam, sententiamque divortii, plerumque comitatur lis, et quæstio de restituenda dote, vel donatis propter nuptias. Hinc præcedentem titulum ordinate sequitur præsens. Et quamvis hæc materia principaliter pertineat ad civilistas, qui de ea ex professo tractant ff. h. t. Nihilominus, quia de eadem materia per modum causæ incidentis, et quæstionis accessoriæ judicare potest, et debet iudex ecclesiasticus textu claro c. *De prudentia*, 3. h. t. ibi: « Vos, qui de matrimonio principaliter cognovistis, et de dote (quæ est causa incidens) accessorie cognoscere vultistis, et sententialiter, definire. » De eadem etiam canonistis notitia necessaria est.

§ I.

DE DONATIONIBUS INTER VIRUM, ET UXOREM.

2. *Donatio inter virum, et uxorem quid?* — Quæritur I. Quid ad præsens sit donatio inter virum, et uxorem? quid juris de ea, præsertim an valeat, vel saltem aliquem effectum habeat? Resp. I. Est illa, qua vir uxori, aut hæc illi gratis, et ex mera liberalitate aliquid durante matrimonio donat. Ita in re communis, arg. tot. h. t. et C. ff. eod.

3. *Gratis facta est invalida.* — Resp. II. Regulariter, ac de jure communi loquendo, omnis donatio inter virum et uxorem gratis, meraque ex liberalitate facta, invalida est, et ad nutum donantis revocari potest, si ex illa donans sit pauperior, et donatarius locupletior. Unanimis et certa, ob clara jura c. fin. h. t. ibi: « Donatio, quæ constante matrimonio inter conjuges dicitur esse facta, ex qua alter locupletior, et alter pauperior efficitur, firmitatem non habet, nisi donatoris obitu confirmetur: quæ tamen penitus evanescit, si revocetur ab eo tacite vel expresse, vel qui donatum accepit, prius debitum naturæ absolvat, » et l. 1. ff. h. t. ibi: « Moribus apud nos receptum est, ne inter virum et uxorem donationes valerent. » Ratio subjungitur illis verbis: « Hoc autem receptum est, ne mutuo amore invicem spoliarentur, donationibus non temperantes, sed profusa erga se facilitate, etc. »

4. *Non item remuneratoria.* — Dicitur autem notanter « primo, gratis et ex mera liberalitate facta, » quia si fit remuneratio-

nis causa, ob præstita obsequia alias ordinarie indebita, et quæ ab aliis ejusdem conditionis conjugibus, ni similibus circumstantiis communiter fieri non solent, omnino valida est, et subsistit, prout cum communi bene docet Sanchez, lib. VI, disp. 6, n. 11; Menoch., *De arbitrar. judic.*, casu 132, n. 4; Abbas, in c. fin. h. t., n. 7, et alii. Ratio est; quia donatio remuneratoria proprie donatio non est juxta dicta lib. III, tit. XXIV, n. 3, arg. l. 1, et 27. ff. *de Donat.* Accedit, quod per tales donationes remuneratorias excitentur, et stimulantur conjuges ad obsequia etiam extraordinaria mutuo sibi invicem præstanda; ob quæ sane expediens omnino videtur, ut tales donationes remuneratoriæ valeant.

5. *Nec illa, ex qua donans non fit pauperior.* — Dicitur secundo, ex qua donans sit pauperior, et donatarius locupletior; unum enim horum si deficit, donatio subsistit, arg. cit. c. fin., h. t., et l. *Sed et si*. ff. h. t. ibi: « Nam jus constitutum ad eas donationes pertinet, ex quibus et locupletior mulier, et pauperior maritus in suis rebus fit. » Concordat l. *Cum his*. 34. § 9. l. *Si cum*. 50. § 1. ff. eod. Censetur autem pauperior fieri donans, si ejus substantia actu habita diminuitur, non item, si conjux in gratiam alterius non acceptat, quod acquirere potest, repudiando v. g. hæreditatem, aut legatum, ut alter conjux substitutus succedat, textu expresso l. *Si sponsus*, 5, § 13 et 14. ff. h. t.

6. *Ex qua donatione censeatur donans fieri pauperior.* — Censetur insuper donans fieri pauperior, si alteri remittat debitum, vel etiam donando remittat pretium pro re, quam donans conjux alteri vendidit, cit. l. *Sponsus*, § 5, ff. h. t. Item, si donatio fiat ante matrimonium cum conditione, ut contracto matrimonio primum habeat effectum, l. *Cum hic*. 32, § 22, ff. h. t. quia idem est, aliquid fieri tempore inhabili, et in tempus inhabile conferri, l. *In tempus*, ff. *de Hæred. instit.* Censetur item pauperior fieri, et consequenter donatio invalida esse, etsi fiat per tertium, dum maritus v. g. dat Titio, ut donet uxori, textu expresso cit. l. *Si sponsus*. 5, § 2, ff. h. t.

7. *Et ex qua non?* — E contra pauperior non fit maritus, si uxori quid donat, ut comptior, et ornatio incedat; eo quod sua potius, quam uxoris causa dedisse censeatur, l. *Si ut certo*. 5, § *Interdum*. ff. *Commo-*

dati. Item pauperior fieri non censetur uxor, si donationem faciat viro ad consequendam dignitatem l. *Nuper*. 42, ff. h. t. talis enim donatio in commodum ipsius uxoris redundat; hoc ipso, quod ex dignitate viri, eidem etiam honor accedat; « feminis enim dignitatem clarissimam mariti tribuunt, » l. *Femina*, 8, ff. *de Senator.* Pariter pauperior donando fieri non censetur, si conjux alteri rem alienam donet arg. l. *Sed et si*. ff. h. t. quod fieri posse constat ex dictis lib. III, tit. XXIV, n. 20.

8. *Valet etiam donatio ex qua donatarius conjux non fit locupletior.* — Porro, etiamsi donans conjux pauperior fiat donando, si tamen exinde locupletior non fiat donatarius, valet donatio juxta communem et certam, textu expresso cit. c. fin. h. t. l. *Sed et si*. 25, ff. h. t. et l. *Si sponsus*, 5, § 16, ff. eod. ibi: « Ubicumque igitur non diminuit de facultatibus suis, qui donavit, valet: vel etiamsi diminat, locupletior tamen non fit, qui accepit, donatio valet. » Hinc valet, si maritus uxori servum donet, ut manumittatur, textu expresso l. *Quod autem*, 7, § fin. ff. h. t. Item valet, quod sepulturæ causa aut ad faciendam elemosynam, aut emendandam rem familiarem donatur, cit. l. *Si sponsus*, 5, § 8, ff. h. t. et l. 7, § *Si maritus*. ff. eod. et l. *Sed si vir*, 31, § 9 et 10, ff. eod. plures hujusmodi casus, in quibus ex donatione unius locupletior non fit alter conjux, et consequenter donatio subsistit, vide in toto tit. ff. *hac Rubr.*

9. *Donatio inter virum et uxorem invalida habet aliquos saltem effectus: et quos?* — Resp. III. Quamvis donatio simplex, seu gratis et ex mera liberalitate, facta inter virum et uxorem sit invalida juxta dicta; tamen non caret omni effectu. Communis, et patet; tum quia morte donantis confirmatur, juxta dicenda, arg. c. fin. h. t. Tum quia transit in donarium saltem possessio, utpote quæ facti est, arg. l. 1, § 4, *de Acquirend. et de admittend. possess.* Tum etiam, quia donatarius saltem acquirit fructus, quos sua industria ex re donata accepit, l. *de Fructibus*. 17, ff. h. t.

10. *Donatio inter conjuges in pluribus casibus valet.* — Quæritur II. In quibus casibus valet? vel saltem confirmetur donatio inter virum, et uxorem? Resp. Dari plures casus, in quibus talis donatio valida est. Patet inductione. Sic enim I. valet inter eos donatio remuneratoria juxta dicta n. 4. II. Si ex do-

natione donans non est factus pauperior, juxta dicta n. 5. III. Si donatarius non est factus locupletior, n. 8.

11. *Præsertim inter principes personas.* — IV. Valet donatio inter conjuges principes supremos, et comites imperii, Tiraquel. tr. *de Nobilit.* cap. xxxvii, n. 45; Sanchez, lib. VI, disp. 3, n. 1, arg. l. penult.

12. *Enumerantur alii casus, in quibus valet donatio inter virum et uxorem.* — V. Valet gratuita concessio in ædibus suis, sicut usus servorum, animalium, vestimentorum et similibus, textu expresso l. *Si vir uxori*. 18, ff. h. t.

13. VI. Valet donatio facta ad reficiendas ædes dotales, l. *Quod si vir*, 14, ff. h. t.

14. VII. Valet donatio facta, causa exilii, vel alterius pœnæ, bonorum confiscationem secum trahente l. *Si mors*. 13, § 1, ff. h. t. et l. 43, ff. eod. ibi: « Inter virum et uxorem exilii causa donatio fieri potest. »

15. VIII. Valet donatio, qua vir remittit uxori usuras dotis, conventionem debitas l. *Vir usuras*. 54, ff. h. t.

16. IX. Valet inter virum et uxorem donatio exigui pretii, Barbosa, in c. fin. h. t. n. 17, arg. l. *Ex annuo*, 15, l. *Sed si vir*. § *Si vir*. ff. h. t. a sensu contrario. Accedit consuetudo optima legum interpres l. 37, ff. *de Legib.*

17. X. Valent donationes mutuae, saltem quando una alteram notabiliter non excedit. l. *Quod autem*. 7, § 2, ff. h. t. ibi: « Si vir et uxor, qui invicem sibi donaverint, etc. recte placuit, compensationem fieri donationis. » Accedit, quod in casu mutuae donationis nullus conjugum locupletior fiat aut pauperior; et quod modicus excessus unius non attendatur juxta dicta n. præced.

18. XI. Valet inter virum et mulierem donatio mortis causa textu expresso, l. *Si eum*. 9, § fin. h. t. ibi: « Inter virum et uxorem mortis causa donationes receptæ sunt. » Ratio subjungitur l. 10, ff. eod. « quia in hoc tempus currit donationis effectus, quo vir, et uxor esse desinunt. » Interim tamen res non statim fiunt ejus, cui donatæ sunt, sed tunc demum, cum mors iasecuta est. Medio igitur tempore dominium remanet apud eum, qui donavit, prout his terminis statuitur illico seq. l. *Sed interim*. 11. prin. ff. eod. Porro quid sit donatio mortis causa, vide lib. III, tit. XXVI, n. 688.

19. *Donatio inter conjuges invalida confir-*

matur morte donantis. — Quæritur III. An? et quando donatio inter virum ac uxorem ab initio invalida confirmetur, et valida evadat? Resp. I. Talis donatio invalida confirmatur imprimis, et valida evadit morte donantis, si eam in vivis tacite, vel expresse non revocavit. Unanimis et certa, claris juribus c. fin. h. t. ibi: « Firmitatem non habet, nisi donatoris obitu confirmetur. » Concordat l. *Cum hic*. 32, § 2, et l. *Si stipulata*. 3, ff. h. t. l. 1 et 3, c. eod. Ratio est, quia si donans usque ad mortem donationem alteri conjugii factam non revocet, censetur velle, ut donatarius rem donatam capiat quasi ex donatione, aut alia dispositione mortis causa. Accedit, quod moriente donante cesset finis legis, periculum nempe mutue depauperatis ex mutuo affectu, etc.

20. *Moriente autem donatario ante donantem evanescit.* — Dicitur autem notanter, morte donantis; quia morte donatarii nequaquam confirmatur, sed penitus evanescit, textu expresso cit. cap. fin. h. t. ibi: « Quæ tamen penitus evanescit, si, etc. qui donatum accepit, prius debitum nature persolvat, » et l. *Cum hic status*. 32, § 12, ff. eod.

21. *Non confirmatur donatio morte donantis si hic eam in vivis expresse vel tacite revocavit. Quomodo censeatur tacite revocare.* — Dicitur notanter, « si eam in vivis tacite, vel expresse non revocavit; » hoc enim si fiat, donatio morte donantis non confirmatur, sed evanescit, textu claro cit. c. fin. h. t. ibi: « Quæ tamen penitus evanescit, si revocetur ab eo tacite, vel expresse, » et l. *Cum hic status*. 32, § 2, ff. eod. Potest autem revocatio tacite fieri variis modis, veluti, primo, si donans rem prius conjugii donatam postea alii donet, leget, aut vendat, pignori aut hypothecæ subiciat, arg. l. *Cum hic status*. 32, § 3, et § 15, ff. h. t. ibi: « Si maritus ea, quæ donaverat, pignori dedit, utique eum penituisse dicemus, » et l. *Si maritus*. 12, c. eod. ibi: « Cum sit manifestum, etiam donatione, vel venditione, vel alio quolibet modo rebus alienatis revocatum esse a viro in mulierem factam donationem, » per generalem hypothecam vero omnium bonorum tacite revocata non censetur donatio. Sanchez, lib. VI, disp. 15, n. 5, arg. l. *Si maritus*. 12, c. h. t. ibi: « Si specialiter obligavit. »

22. Secundo donatio tacite revocatur per divortium; nisi matrimonium denuo inter eos reintegretur, et divortium tollatur; aut

nisi expresse donans velit, ut divortium factum non obstet donationi factæ. l. *Cum hic status*. 32, § 10 et 11, ff. h. t.

23. Tertio donatio tacite revocari censetur, si conjux mores male mutasset in præjudicium donantis, adulterando, v. g. aut insignem ingratitude exhibendo; Sanchez, loc. cit. n. 11, arg. l. fin. c. *de Donat.* et c. fin. *de Donat.* Item tacite revocantur per graves inimicitias inter virum et uxorem, Sanchez, loc. cit. n. 23, arg. l. *Cum hic status*. 32, § 10, ff. h. t.

24. *In dubio non censetur revocata donatio.* — Porro in dubio, an donans tacite vel expresse revocaverit donationem conjugii factam, præsumendum est, non esse revocatum, cit. l. *Cum hic status*. 32, § 4, ff. h. t. ibi: « Si appareat, defunctam evidenter revocasse voluntatem; quod, si in obscuro sit, proclivior esse debet iudex ad comprobendam donationem. »

25. *Potest etiam ipsa revocatio iterum revocari.* — Valet insuper non obstante revocatione expressa donatio post mortem donantis, si factam revocationem denuo revocavit aut donationem innovavit, cit. l. *Cum sit status*. § 3, ff. h. t.

26. *Donatio a marito uxori invalide facta, confirmatur etiam morte civili mariti.* — Resp. II. Non tantum naturali, sed etiam civili morte donantis mariti donatio, uxori prius invalide facta, confirmatur; veluti si maritus in exilium mittitur, aut deportatur, etc. Sanchez, lib. II, disp. 17, n. 3; Sylvester, §. *Donatio*. 2, q. 4, cum communi aliorum contra Glossam, c. *Licet undique*. in fine, *de Offic. delegat.* arg. l. *Sed si mors*, 13, § 1, ff. h. t. et l. *Res uxoris*. 24, c. h. t. ubi in simili etiam donatio mortis causa confirmatur. Ratio conclusionis est, quia mors naturalis et civilis æquiparantur, quando utraque eundem effectum quoad bona habet, ut bene advertit Glossa, in *Clement.* 2, §. *Moriente de Elect.* Abbas, in c. *Nisi essent de Præbend.* n. 11.

27. *Non item facta ab uxore marito.* — Dicitur autem notanter in conclusione, donatio facta uxori; quia si fit ab uxore marito, morte civili donantis non confirmatur, ut l. c. n. 6, bene advertit Sanchez; quia jura speciale privilegium et favorem conferre voluere uxoris pudicitie, arg. cit. l. *Res uxoris*, c. h. t.

28. *Si maritus fit servus hominis, non confirmatur donatio: bene autem si fit servus*

§ II.

DE DOTE, ET BONIS PARAPHERNALIBUS: ITEM DE DONATIONE PROPTER NUPTIAS SEU CONTRADOTE ET DE MORGENGEBE, SEU MORGENTATICA, UBI ETIAM DE SPONSALITIA LARGITATE, ET ARRHA.

pœnæ. — Limitatur etiam conclusio in casu mortis civilis, quo maritus evadit servus hominis; tunc enim non confirmatur donatio; sed evanescit, textu expresso l. *Cum hic status*. 32, § 6, ff. h. t. Secus est, si fit servus pœnæ, ut si condemnatur ad metalla v. g. arg. l. *Res uxoris*, c. h. t. juncta Glossa ibidem §. *Deducto*.

29. *Stante morte civili potest maritus revocare donationem.* — Illud etiam notandum, quod non obstante sua morte civili possit adhuc revocare donationem maritus (excepta professione in ordine fratrum Minorum S. Francisci) arg. l. *Sed si mors*. 13, ff. h. t. et l. *Res uxoris*. 24, c. eod. Et, si revocet, pertineat res donata ad eundem, non ad fiscum, eo quod in publicatione bonorum res ita donatæ non comprehendantur, Jason, in l. *Si stipulatus fuerim*. § *Cum stipulamur*. ff. *de Verb. obligat.*; Sanchez, lib. VI, disp. 17, n. 5, arg. l. *Si deputati servo*, ff. *de Legat.* 3.

30. *Excepta morte civili per professionem regulæ sancti Francisci.* — Dicitur autem excepta professione in ordine fratrum Minorum: per hanc enim, si quis civiliter moritur, donatio conjugii facta, statim æque confirmatur ac morte naturali, ita, ut amplius revocari nequeat; consequenter mortem illius naturalem expectare non sit necesse; ex eo, quia tam talis profitens, quam religio est bonorum incapax, ut cum aliis bene advertit Sanchez, loc. cit. n. 9; Palao, tract. XXXII, disp. 2, punc. 25, § 3, n. 3.

31. *Secus est de professione alterius religionis.* — Secus est in casu, quo quis proficitur religionem bonorum capacem; tunc enim professus cum consensu superiorum revocare potest donationem prius factam, ut proin irrevocabiliter non firmetur, usque dum morte naturali decedat professus, doctores citati cum Pirhing, h. t. n. 20.

32. *Donatio 500 solidos excedens, morte non confirmatur, nisi prius fuerit iudici insinuata.* — Resp. III. Donatio 500 solidos nec naturali, nec civili morte donantis confirmatur; nisi fuerit insinuata apud iudicem l. *Donationes*, c. h. t. de hac donatione vide amplius lib. III, tit. XXIV, a n. 14.

33. *Donatio confirmata juramento de non revocando valet.* — Resp. IV. Donatio inter virum et mulierem prius invalide facta, etiam per juramentum de non revocando confirmatur per ea, quæ diximus lib. III, tit. XXIV, a n. 33, ubi vide.

34. *Dos, quid?* — Quæritur I. Quid? et quotuplex sit dos? Item quis eam dare possit, aut teneatur? Resp. I. Dos ad propositum est certa pecuniæ quantitas, seu alia res mobilis vel immobilis, quæ ab uxore, seu sponsa, vel alio ejus nomine, causa nuptiarum datur marito ad onera matrimonii sustinenda, ut videlicet ex ejus fructibus uxorem, et familiam facilius alere possit; vocatur nostra vernacula Heurath-Gut. Ita in re communis, arg. toto tit. ff. et c. *de Jure dotium*. Nec indiget definitio declaratione.

35. *Alia est profectitia, alia adventitia.* — Dividitur autem in profectitiam, et adventitiam. Profectitia est, quæ a patre, vel ab alio ascendente paterno filiam in potestate habente, vel ab alio intuitu tamen patris datur, l. *Profectitia*. 5, ff. *de Jure dotium*, et l. un. c. *de Rei uxoria act.* Adventitia est, quæ nec a patre, nec ab ascendente paterno, sed ab alio, absque intuitu parentis datur, l. un. § *Accedit*, c. *de Rei uxoria act.*

36. *Dotem quivis major 25 annis dare potest.* — Resp. II. Dotem dare potest non tantum uxor seu sponsa de suis bonis, sed etiam quivis alius pro illa. Caret controversia, arg. l. *Promittendo*. 14, ff. *de Jure dotium*. ibi: « Promittendo dotem omnes obligantur, cujuscunque sexus aut conditionis sint: » Dummodo sit major 25 annis, l. fin. c. *Ad S. C. Velleian.* ibi: « generaliter sancimus, ut si quis, major 25 annis, sive masculus sive femina dotem pollicitus est, vel epouderit pro qualibet muliere, cum qua matrimonium licitum est, omnino compellatur suam confessionem adimplere. »

37. *Pater tenetur filie dare dotem.* — Resp. III. Pater tenetur dotem dare filie, communis et certa, textu claro l. fin. c. *de Dotis promissione*, ibi: « Neque enim leges incognitæ sunt, quibus cautum est, omnino paternum esse officium dotem vel ante nuptias donationem pro sua dare progenie. » Concordat l. 19, ff. *de Ritu nupt.* Et quidem de propriis, non de ipsius filie bonis, nisi gravi inopia laboret, ut ibidem decidit imperator.